

DE CLARISSIMO VIRO D. IOANNĒ SICHARDŌ
 IC. AD CLARISS. VIRVM D. IOANNEM FICHARDVM
 I. V. D. Iustini Gobleri I. C. Heptastichon.

Quod vitam docti, facunde Ficharde, Sichardi
 Per scribis, memoremq; sui testari amorem,
 Rite facis: quis enim te iustus ista subiret?
 Cui tam sunt cum ipso communia multa Sichardo?
 Quis quoque te melius prastaret? omnia cum sine
 Notaprobe longa tibi consuetudine vita?
 Ergo vna historia aeternum viuetis vtrique.

Aliud eiusdem de ambobus.

Quid ne Ficharde velis socii describere vitam?
 Non alium id prater te decuisse scias?

Namque tuum debes celebrare Ficharde Sichardum,
 Sic gratus cunctis gratior esse potes.
 Ad quod te hortantur multa isto digna favore,
 Scilicet ingenium, natio, nomen, honos.

In sequentem orationem Gaspar Volland D:

Verè tantus etas, maior quoq; clare Sicharde,
 Quantum te noster predicat illyricus.

Hoc distichon ita Græce reddidit Garbitius.

ὄντως ἦν οὐ τόσῳ, κρείττων δ' ἐπὶ λαμπρῆ Σίχαρδῃ,
 ὅσα πόνος ἡμῶν κυδάνει ἰλλυρικῶς.

ORATIO FVNEBRIS DE VI
 TA ET OBITU CLARISSIMI VIRI DN. IO-
 ANNIS SICHARDI I. V. D. CONSVLTISS. IN CELE-
 berrima Academia Tubingæ habita à Matthia Garbitio
 Illyrico, Anno M. D. LII. Calendarum
 Octobris XVI.



Misimus ab hinc die octauo, piæ memoria, Clarissimum virum, Dominum Ioannem Si-
 chardum, decus & lumen singulare Scholæ nostræ. Quod quanto cum dolore & incommodò
 Scholæ acciderit, facile quisq; & ipse secum reputat, & ex communibus aliorum deploratio-
 nibus, desiderijs & votis percipit, tum verò fortasse nō nihil cognoscet ex hac nostra oratione.
 In qua, quia mihi publico nomine, & ex grauissima Senatus nostri auctoritate, moreq; lau-
 datissimo iam inde ab antiquissima sanctitate in Scholam & statuta nostra sapientissime re-
 cepto, sunt dicenda quadam de vita & obitu ipsius, ego profecto peruelim, me vel aliqua ex
 parte posse hoc tantum munus, pro dignitate rei, & expectatione communi obire. Sed quia hoc negotii superauerit
 longe cuiuslibet facundiam, nedum meam infantiam, ideo est mihi eo duntaxat committendum, ut, qua liceat ora-
 tione, probem saltem meum, & erga Scholam studium promptum, & de hoc tanto viro iudicium honorificum. Id
 vero quantulumcumq; illud quidem & qualecumq; quo magis ex multum & late celebrata amplitudine ipsius præ-
 stantissimarum virtutum deprometur, eo intelligentibus & sanè de aliena, sibi tamen non prorsus ignota virtute
 iudicantibus, gratius erit. Nam, ut more meo simpliciter & planè, in rei veritate conspicua, & prædicatione virtu-
 tis solida, ita tantum præcipuas defuncti laudes, & ex partibus vitæ ipsius præcipuis desumas, perstringam. Ac
 proinde hic etiam statim ab initio non est mihi immorandum in vulgaribus illis patriæ & parentum ipsius laudi-
 bus, quæ duo licet & ipsa, abundè satis probauerit ipsius præclara indoles, non fuisse omnino abiecta, & res ipsa do-
 ceat, cum patrem habuerit Georgium Sichardum ciuem honestum ciuitatis Bischoffsheim in nobili Franconia sita,
 non tamen tam inde est ornatus, quàm ipse ea, sua præstanti virtute exornauit, ut propterea rectius fuerit sentire,
 ipsum ex suis quamlibet honestis parentibus singulari quadam Dei & gratia & prouidentia creatum, non solum ad
 patriam suam, sed & alias Germaniæ ciuitates, & præcipue Scholam hanc nostram illustrandam. Nam hoc est
 quasi peculiare gratiæ Dei, ut ipsa serè abundantior & admirabilior circa non ita magna & illustria, redundet.
 Hinc ergo nactus indolem suam præclaram, non ille statim à puero, ut pleriq; solent, aut ad voluptates illas obuias
 gula & otii, aut ad artem aliquam quotidianæ necessitatis, sed ad virtutis studium arduum, & ad has ingenuita-
 tis artes plurimas & maxima vigilantia, animum applicuit, nec ipsum in hoc suo ardore impediuit parentum, quo
 ad studia alenda, inopia, nec ipse eam aliquibus expensis aggrauare voluit, sed stat. in sua probæ & ingeniosæ indolis
 alacritate sibi facile conciliauit ex cognatis quendam honestum & mediocriter nummatum, qui primos studiorum
 sumtus præberet. Inde aliquandiu detentus in illis triuialibus scholis, donec prima artium rudimenta assequeretur,
 postea Erfordiam, in scholam publicam, tum studiis florentem, eiusdem illius cognati sui beneficentia est missus, ubi
 facile sua & ingenii felicitate & discendi auiditate primum studiorum gradū nactus, mox Ingolstadtum se contulit.
 Quanta ibi industria, & quam felici in studiis sit progressus, facile vel ex hoc apparet, quia tum breui, & ad alterū
 illum Magisterii gradū, & ad functionem priuatim instituendi alios & eos honestos & nobiles adolescentes est eue-
 ctus. Ad hanc autem nimis quàm laboriosam & molestam operam erudiendi alios, licet fortasse eum etiam tenui-
 tas rei, & cura quadam acquisitionis, qua voluit subleuare expensas cognati sui, permouerit, multo tamen magis ve-
 risimile est, eum excitatū eo promptitudine & fiducia sui, iam omni genere bonarū artiū eruditi ingenii, & quia apud
 se statutum haberet, nihil omnino posthabendum, quo vel ingenium exerceri, vel aliqua experientia acquiri posset.
 Nam quam postea in ætate perfectæ consecutus est excellentem virtutem & sapientiam, illa satis declarat, eum iam
 tum, aut etiā statim à puero, ex bonitate indolis suæ, ad eam ut summo ardore, ita nullo conatu & labore contendisse.

Ex quo